

18 vero **C**alix benedictus in benedictione omni
omni fratre **I**ustus ap̄t̄ est. **D**e patre q̄ sum
Misericordia participacio temp̄ domini st.
qm̄ vnuus p̄ens et vnuus coruus multū sum
omnes qui ex me p̄epane et ex me aliis p̄ante
pari. **E**p̄ate q̄st̄ sc̄d̄m̄ sum. **V**nde q̄
ad̄ hostias particeps si adiuncti. **H**oc dico
dico. q̄ sp̄ol̄ p̄m̄alati sit et audiat q̄ sp̄ol̄
p̄dit̄ sit aliquid. **E**t q̄ vnuus aḡt̄ tener
denominis p̄vredicant. **T**unc ab iudeo auer
sus p̄cues fieri demonorum. **H**omopotes nūc
domini biliae et malius demoniorum. **R**ec̄ re
fusis mensē domini particeps esse. **V**erū
demonium. **S**in simulacrum domini. **V**erū
fictioes illius sum. **D**omini nihil agit. **S**ed
omnia exp̄luitur. **O**mnia vniuersitate vne
tant. **E**mo q̄ sūm̄ q̄t̄ quem. **F**iḡo alii uia
omne q̄t̄ in uinculis venit mundamente. in
hi int̄m̄gantes p̄pet̄ confidant. **T**as̄ sint et
tema et plenaria eius. **D**omine qui vnuus vnu
inficiuit. qd̄ vnuus et nullus. **C**ontra qd̄ rebis

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Xd. 28,

DISPUTATIO XX.

DE ANIMA IN GENERE, EIVS DEFINITIONEM,
originem, sedem, & immortalitatem
explicans.

Quam

D. O. M. A.
SVB PRÆSIDIO

TOBIÆ KNOBLOCHII,
Marcobrettani Fr., Med. & Phil.D.

*In celeberrima Witebergenstum Academia
defenderendam suscipiet*

Nicolaus Olschlegelius
Lobensteinensis Variscus.

Add diem 11. Iulij, horis & loco notis.

(S): (S)

VVITEBERG AE,
Typis Cratonianis per Iohan. Gorman.

Anno cI^o I^o C^o VII.

Reverendo & Clarissimo
V I R O

Dn. CASPARO BRASTIO,
Ecclesiæ Lobensteinensis Pa-
stori, ejusdemq; ~~dionysius~~ Superintendenti vigilan-
tissimo, Promotori suo lummo observan-
tiæ studio colendo;

Ut &

Amplissimis & Prudentissimis Viris,

Dnn. Consulibus, cæterisque
Reipub. Patriæ senatoribus dignissimis, Ma-
cenatibus suis æternum honorandis,

Nec non

Viro Integerrimo

D N. IOHANNI ÖLSCHLEGELIO,
civi Lobensteinium primario, agnato &
fautoris suo itidem colendo,

Disquisitionem hanc Theologi-
co-Philosophicam

Dicat

Nicolaus Ölschlegelius,
Respondens.

Proœmium.

VM ORGANORVM HUMANI
mani corporis, qua anima informare debet, co-
gnitio admodum jucunda, & utilis ex disquisi-
tionibus superioribus proximis satis perspecta no-
bis, atq; cognita sit: Consequens nunc esse vide-
tur ut sine ulteriore mora ad animæ ipsius huma-
næ, partis nimirum hominis divinissimæ & nobilissimæ œnophiv ac-
curatam nos cuū œw accingamus.

Et quidem cum ex professo & principaliter in disputationibus
proxime antegressis satis superq; de corporis anatomia à nobis actū :
opere precium esse videtur, ut nunc quasi c̄v παρόδω in transcurso
hic in calce breviter animæ tractationem, cum generalem, quoad
definitionem ejus originem sedem, &c. tum specialem quoad poten-
tias ejus & facultates attingamus. Idq; hanc potissimum ob causam,
quia unumquodq; per propriam suam cognoscitur formam.
Animam autem corporum animatorum formam, cum doctissimis
Peripatetica Philosophia assertoribus, manente interim salva alio-
rum sententia, asseverare haud dubitamus: Per animam enim
corpus animatum est id quod est. Nam homo aut per corpus erit
homo, aut per animam. At non per corpus, quod est materia. Ergo
per animam. Nec per tertium aliquod. Quia illud aut est sub-
stantia aut accidentis. Non substantia. Alicubi enim in homine tres
essent substantiae: Nec accidentis: quia accidentis non constituit subst-
tantiam. Firma itaq; & immota nostra manet sententia, animam
videlicet formam esse corporis animati. Quocirca cum corporis a-
nimati historia recte intelligi sine aliqua saltu animæ cognitione
nequeat: Nos paucis duntaxat de anima differendum putam-
us.

C A P. I.

1. De generali autem animæ tractatione (speciali ad inse-
quentem ἐξετασιον reſicientes) hac vice acturi, neceſſe habemus, ut
certis nos cancellis includamus; ne aliquibus extra oleas, quod di-
citur, vagari videamur. Id ergo totam hanc disputationem nostrā,
que in genere animæ tractationem, ut dictum, ſuscipiet, tribus in-
partibus rectiſſimè dabimus abſolutam. Primo enim dicemus de
animæ definitione ejusdemq; explicatione legitima: Deinde de
animæ origine, & deniq; de ejusdem ſede propria. Quibus ita o-
mnibus ordine enodatis, colophonis loco queſtionem de animæ im-
mortalitate, ſatis quoq; nobilem paucis luet attexere.

2. Principio igitur, cum omnis qua à ratione ſuscipitur de re
aliqua iuſtitutio debet à definitione proficiſci: ut intelligatur,
quid ſit id, de quo diſputetur, monente. I. offic. Tullio: ideo &
nos à definitione rem inchoabimus preſentem. Quia verò defini-
tio Philoſopho i. Top. 4. alia eſt τὸ ὄνομα, nominis: alia vero
τὸ περὶ γνῶμα, rei: idcirco de nominis definitione, quam rectius
nominis notationem dicimus, initium faciemus.

3. Dicitur autem anima (ἢ Φυγὴ Grecis dicta à Φύσις), quod
frigus ſignificat: cō quod Thales & Hippoſophi antiqui o-
rators animam ex aqua elemento omnium, ut quibusdam falſo
videtur, frigidiflmo ortam adſeverabant, teſte Aristotele lib. I.
de anima cap. 2. text. 32. que notatio tum ab adjuncto proprio e-
rit petita) nonnullis à voce ἀνέρ. que ventum ſignificat: quod
ſecundum gentilium opinionem absurdam ſane, anima ventus fit,
cum aërem ore attrahentes videamur vivere. Sed hoc apertissime
falſum eſſe, patet ex eo: quod homo multo priuſerat, & per con-
sequens etiam animam habeat. quia aërem ore capiat: quia in-
geneticis etiam utero, quod extra omnem dubitationis aleam poſi-
tum ſtatim vivit ſatus, ut Iſidorus lib. II. cap. 1. annotat: ubi
quoq; existimat, animam hoc nomen ſuum à gentilibus accepisse.

4. Verum

4. Verum hoc ut sit in medio nos suis Auctoribus defendendū relinquentes, arbitramur hanc quā modō adduximus ip̄sus legitimam esse notationem, etiam à sacris litteris non multū discrepantem: cum anima in ipsa creatione prima à Deo ipso nominetur vita spiraculum Genes. 2.v.7. eo quod à Deo primo homini sit inspirata: & ita à spirando, quod Grecis ἀνέμος est, à quo ἀερός derivatum volunt, dicta, notatione videlicet à causa efficiente de promissa.

5. Isidori quidem loco anteā citato notationem propriam, (cum illa ex Isidoro thesē: producta aliorum sit) ab effectu proximè sumtam, quod nimirum anima corpus, cui (ut ille falso opinatur) infunditur, animet, & vivificet, quilibet per nos acceptare poterit. Interim tamen hoc addimus, quod prior illa thesē quarta comprehensa, ut cum sacro codice conveniens, nobis nihil planè morantibus, quod ex eadē Latina lingue coloniā excerpta non sit, magis arridat.

6. Nominis definitionem rei ipsius definitio consilim excipit. Quandoquidem verò anima vocabulum equivocum est: & omnis equivocatio mater erroris & confusonis rectè dicitur: ideo ne in errorem & devium arripiatur opere via hæc nobis necessariò erit enodanda.

7. Competit enim animæ vox tam brutiſ animantibus, immò & plantis ipsis: quam homini, omnium animantium principi ac Domino, & creaturarū p̄st angelos nobilissimæ. Illorum tamen anima ab hujus longo distat intervallo. Siquidem brutorum anima vel ex materia & sanguine orta, est vel temperamentum, vel spiritus ut patet ex Levit. 17. vers. 11. &c 14. Item ex Deuteron. 12. vers. 13. Quare etiam Iudeis in Dei populo sanguinis c̄sus ob hanc potissimum causam, quod animam eorum continet, severissimè fuit à Deo per Mosen prohibitus: ut præter loca modò citata etiam textus Actor. 15. vers. 20. clarissimè documentis comprobat.

8. *Vi verò brutorum anima excorpore a materia originem trahit; unde etiam cum ipsis brutorum corporibus interit ac moritur: Ita contra hominis omnis corporalitatis expers, immortalis est, & permanet: ut in disputationis conclusione fusi demonstrabitur.*

9. *De hac brutorum anima nobis hic περὶ τοῦ σέμενος non est: nisi quod διάλεξεν per analogiam quandam ea, quae ipsis cum hominis anima communia sunt, accommodemus. Quandoquidem autem Aristoteles tam generalem nobis animae definitionem reliquit: quae homini cum brutis, & plantis etiam ipsis communis sit: quaeque sit inseparabilis, & à corpore, cum quo simul interit & moritur, separari minimè possit: ea propter nos brevibus tantum eam attingentes, postea perfectiorem, specialioremq; hominis, à Theologia nostra adjuvi, quae nobis rectissimè suppetias hic ferre poterit, subnecemus.*

C A P. II.

1. *Recensetur autem illa, cuius modo mentionem fecimus, Philosophi definitio lib. 2. de anima capite 1. tex. 6, hujuscemodi: Φυσικὴ εἰν τῷ περὶ λόγῳ, η περὶ τῆς σώματος φύσεως ἐχούσης δυνάμει, hoc est, anima est actus primus corporis naturalis organici vitam habentis potentiam.*

2. *Hic ad duo animadvertendum esse meminerimus. Primo ad definitum, deinde ad definitionem ipsam. Definitum, quod est anima, licet hoc tempore non facilè à quoquam negetur, quod sit; Imo Aristoteles in libris de Anima, cum sit manifestissima, hanc questionem prætermitit: tamen olim Dicaearchus, in sermone, quem Corinthi habitum, tribus libris exposuit, Pherecraten Phthiotam senem differentem induxit, neg. in homine inesse animal vel animam, nec in bestia: si Ciceroni in principio lib. 1. Tusc. quest. creditus. Et D. Athanasius refert suo tempore multos, qui animam omnino negarent, inventos fuisse.*

3. *Quod autem anima sit, Theologicè probatu facile est. Expressis*

pressis enim verbis mentionem facit Moses Genes. 2, vers. 7. Spiraculum ipsius vita, quod animam dicimus. Imo vel ex sexcentis locis alijs ex scriptura sacra petitis, quibus tamen hic accumulandus superscedemus, idem est manifestissimum. Sed tamen nec omnino philosophica difficultas est rei hujus probatio; quamvis huc à posteriori tantum animæ cognitione intellectui sese nostro insinuet.

4. Discedente enim anima tanquam omnis motionis & operationis causa ac principio nulla amplius superesse potest actio. Si quidem sublatæ causa ejus effectus quoq; cœlegypti unæ & è vestigio quidem tollitur. Sic enim Lavendula post animæ sua interitum amplius non crescit: sic Elephas anima absente non amplius edit, licet alias voracissimus: sic merula anima deficiente ad volandum inepta: sic cadaver deniq; hominis immotum planè humi jacet ac procumbit. De quo non ineleganter scribit Hieronymus Fracastorius in dialogo de anima pag. 513. Videntur, inquit, quicunq; audiunt nomen animæ, principium quoddam vita intelligere in his corporibus, que vivere dici solent: Nam & vivere illa dicimus, cum animam habent, non vivere autem cum illa carent. Ex quibus omnibus liquet, suisse aliquid unde haec operationes jam quidem in corporib; istis deficientes, dependentiam suam olim habuerint: quamvis id à priori intelligere non valeamus.

5. Definito ipsa statim definitio succedit: que ex genere consistat & differentia sua specifica, ut legitima definitio selet. Genius ejus est ἐνέλεχεια, id est, actus sive forma, à τιλέω ita nuncupata, quodrei cui adsegnatur τὸ έπωνυμον tribuat, & in ijs, ut sint, quod sunt perficiat: unde & ἐνέλεχεια à perficiendo nomen suum sortitur. Hujus generis notatione anima cum alijs actibus, corpora naturalia perficientibus & informantibus convenit.

6. Quia vero actus hujusmodi alius est primus, quem in specie quandoq; ἐνέλεχεια appellare solemus: secundus alius, quem ἐπώνυμον aut ἐνέλεχεια distinctionis ergo nominare possumus: ideo in definitione Aristotelica vocabulum primus, quod primam in differencia

ferentia specifica restrictionem parit additur: ne videlicet anima actus secundus, hoc est, mera operatio & commotio à forma promanans in ipsis membris organica existimaretur.

7. Altera differentia particula est vox corporis, addita ad differentiam actuum purorum & simpliciter separatorum: qui ab omni materia commixtione sunt planè alieni: quicq; sunt actus se- ipsis existentes, nullumq; corpus informantes, quales sunt angelii, aut secundum Philosophorum opiniones, intelligentia cœlestes, quæ tantum Metaphysice sunt considerationis.

8. Hac particula satis iterum patitur limitationis. Non enim simpliciter & à totis dicitur corporis quæ corporis: sed corporis i. physici seu naturalis: quo distinctio fiat à corporibus arte fabricatis: quæ vita & expertia, nec in sua moventur virtute. Qualia sunt omnis generis avesq; horologia: & olim columba volatilis lignea, ab Archytas Tarentino confecta, hujus generis est gallus quoq; aeneus in horologio Argentinensi, singulari industria factus, ut certis horis cantaret: Musca item ferrea Norimbergensis, quæ circa mensam volabat. Adde his: Aquilam ferream Norimbergæ ex urbe ultra mœnia in accussum adventantis Imperatoris evolantem, statimq; in urbem redcuntem: nec non virginem stature admodum longæ ceream Witebergæ nupero tempore à mulier, civi quodam Norimbergensi dante occasionem, visam, quæ sola saltare, caput inclinare, oculos atq; manus magna cum adspectantium delectatione mirifice potuit mouere. Hujuscemodi deniq; sunt multa alia artificiosè composita, quæ omnia huc transferre nimis longum foret: nec etiam hujus propriè est loci: quæ quidem moventur omnia, sed virtute adscititia.

9. Deinde organici, hoc est, certis varijsq; instrumentis, quæ sua natura cieri & moveri possunt prouisibilitate anima, & operationum multitudine, necessarijs instructi. Ejusmodi organa in corpore quidem humano sunt omnes partes tamen similares, quam dissimilares, per quas tanquam organa sua agit anima, & actiones vi- tales

tales exercet: ut ex disputationibus notum precedentibus.

10. Deniq; etiam vitam diuinae habentis, id est, quod corpus à se ipso neg; vitam, neq; viventis operationem habet: sed hæc omnia, tanquam ipsum animæ principium subsequentia, ab anima accipit mutua, quæ corpori, vitam, motum, calorem naturalem, reliquosq; actus secundos largitur.

11. Atq; hæc definitionis Aristotelica, succincta ac brevis, quo ad quidem fieri potuit, fuit explicatio: in qua jam quidem quiesceremus, si talis esset, quæ animæ humanae, de qua potissimum hæc nobis questio, solum competenter. Verum quia res longè aliter se habet, ut supra thesis 9. cap. i innuitus: Ea propter nobis ad perfectiorem animæ humanae definitionem inquirendam, amplius erit progrediendum.

C A P. III.

1. Ea igitur talis esse poterit: *Animæ humanae est Spiritus finitus, corpori à Deo primi parentis Adam inspiratus: & ex hoc in posteriorum corpora vi benedictionis, cum semine humano traducto: qui cum corpore humano hypostaticè & naturaliter congregiens, hominemq; constitutens à corpore per mortis interventum suo tempore, ad diem usq; judicij novissimum, erit separandus.*

2. De definitio cum anteasatis dictum, hic nihil repetemus. Definitio ista (vel si mavis descriptio) ibidem ut supra, ex genere suo proprio & differentia est confata. *Genus ejus est, Spiritus, qui est essentia formata, rationalis & immortalis: que omnia spiritus attributa de anima humana predicari possunt, partim in precedentibus percepimus: partim quoq; in mox subsequentibus auditur.*

3. Quoniam autem spiritus alius est infinitus, id est, essentia definiti & temporis & loci expers qualis est solus Deus: alius vero finitus, qui in certo quoddam nro, hoc est in loco definitivo (ut 2. Physiorum de loco loquitur Melanchthon:) est, & vivit: ideo

B

distin-

distinctionis gratia adjecimus, quod anima sit Spiritus finitus, quo
à Deo discernitur.

4. Cetera, quæ in definitione nostra addimus, animæ humanae
naturam utcunq; nobis expositam exhibent. Et primò quidem sub-
jecimus ejus originem: de qua cum in altero dissertationis hujus
nostra membro ex professo agere, animus sit, verba hic plura non
faciemus: nisi quod obiter tantum notari velimus: extraordinaria-
riam esse Eux prime nostrum omnium, matris animæ productio-
nem: quam non ex semine Adami, sed ex costa ejusdem produxam
cum scriptura sacra. Genes. 2. vers. 22. affe veramus.

5. Postea verò cum ex superiori quoque Aristotelice definitio-
nis declaracione constet: quod anima actus sit impurus, id est, for-
ma materiam, quam informet, requirens: Ea propter in definitio-
ne hac nostra diximus, quod cum corpore humano, tanquam mate-
ria sua informanda, hypostaticè & naturaliter congregariatur: &
ita haec duo, materia quæ corpus; & forma, anima quæ est, &c. & dè-
totum, quod hominem nuncupamus, constituant.

6. Porro quoniam anima ex earum quoq; formarum est nume-
ro, quæ à materia sua separabiles dicuntur, ideo postremo etiam
loco at texendū nobis fuit, quando illa separatio & à corpore distra-
ctio fiat. Non sit autem illa, ut quidam stulte sibi imaginantur, in
somno: quod tum corpus sine anima dormitet, animâ interim ne-
scio ubi locorum, peregrinante. Quemadmodum sunt, qui admo-
dum anilem fabulam cantantes opinentur animam hominis à dia-
bolo è corpore separari, atq; auferri posse: ut intersit beneficarum &
sagarum Chores in Bructero monte institutis: corpore interea tan-
quam mortuo in lecto decumbente, donec anima ei vicissim inse-
ratur.

7. Et hujus est loci fabula admodum ridicula: cuius mentio-
nem facit Helianitus Monachus lib. 13. Chronicorum scribi-
bens: se ab Epano patruo suo, qui à cubiculis fuit Heinrico Re-
mensi Episcopo Ludovici Gallorum regis fratri, audivisse: quod
vide-

videlicet mustela similis bestiola alba ex militis dormientis ore aperito egressa rivum imposito gladio transjecit, & rursum ingressa sit os ipsius militis alijs spectantibus. Sed nūgā sunt, ut cuivis etiam simpliciori constat, quales in Papatum muliō plures pro veris fuerunt venditæ historijs: aut si verum, diaboli fuerunt prestigia, quibus hominibus, illo ut erant tempore, nimirum superstitiosi, persuadere fuit conatus, animam esse corpoream: ideoq; morti obnoxiam, teste Wiero Medico de prestigijs Damonum.

8. Hanc autem opinionem, vel potius vulgi fabulam, nos, ut falsissimam, ita & imp̄issimam proclamamus. Separatio enim formæ cujuscunq; à materia sua sine corruptione rei à nulla creatura fieri potest. Dissociationem igitur hanc mortis duntaxat interventu fieri putamus: quando tum animæ piorum quidem ad finū Abrahæ: impiorum verò ad locum tormentorum, ut sacra literæ Luc. 16, vers. 22. nobis aperiunt, ab angelis deferuntur: ibi q; ad diem usq; novissimum judicij (quo ad corpora redire, & rursus cum ijs multo arctiore, quam antea his in terris fuerunt, vinculo debent copulari) in pace tutò reservantur. Vnde animarum immortalitas, quam disputationis clausula tractandam sumet, cuivis etiam quidò appetet.

C A P. IV.

1. Atq; ita definitione animæ, quæ primum disputationis membris constituit, explicata: ad alterum, animæ videlicet originem, flagitante sic methodo nostra rectè devolvimus. De qua cum non sit eadem omnium tam Theologorum, quam Philosophorum sententia: Videndum nobis ut rectâ circatam varie dissentientes sententias vias incidentes verissimam eligamus. Quamvis autem discrepantes sententiae multæ sint & inter illos absurdissime: ut illæ, qua ab angelis item à D E O

B 2 quidem

quidem sed ex anima mundi hominum animas productas fingunt,
Et hujus generalis alia, que maximam partem recensentur à D.
Hieronymo Tomo 2. in Epistola ad Marcellinum & Augustino in libro de origine animæ ad D. Hieronymum, & lib. 3. de
libero arbitrio cap. 21. & Eucherio in Genesim. vide & Aristotelem lib. 2. de anima cap. 4. textu 34. & Collegium Connibricense in Comment in 2. de anima quæst. 3. articulo 1: ta-
men nos totam hanc sententiæ diversitatem, quatuor potissimum
classibus includemus.

2. Initio enim fuerunt quidam inventi, qui opinarentur: omnes omnium hominum animas simul in creatione prima à DEO productas, inq. thesauro Dei adseratas, suo tempore corporibus in utero materno divisa et absolvit, à Deo immitti: cuius sententia auctorem fuisse Origenem perhibent. Alij postea accesserunt: qui quidem licet non statuerent, omnibus hominibus singulas à Deo in prima creatione animas fuisse creatas: tamen certum quendam animarum numerum productum putarunt, easq. priori extincto in alia migrare corpora asseverarunt. Hujus tñs pñmp-
Ψυχώσωσε, hoc est, transmutationis animarum humanarum in alia corpora parens fuit Pythagoras: quem Academicci plerique omnes sunt secuti. Verum enim vero haec duæ sententiae, ut jamdudum, explosæ, Et heresis non immixtò annumerata, recè à nobis etiam rejiciuntur.

3. Sunt præterea due adhuc dissentientes sententiae, que hoc præsertim tempore multos exercent, etiam doctissimos: quarum una de novo animas à Deo singulis creari quotidie hominibus, Et nascentium corporibus infundi arbitrantur: altera verò non tantum corpus, sed & ipsam animam non quidem per creationis sed procreationis modum à parentibus esse existimat. Verum nos possumus hanc, tanquam convenientiorem accipientes adseveramus (ut ex definitione quoq. nostra patet) quod quamvis anima immediate Deo primo quidem nostro parenti Adamo sit inspirata:
postero-

posteriorum tamen anime ex traduce (ut vulgari termino, sensu ta-
men salvo, uti liceat) hoc est, generatione parentum, & ita medi-
atè propagentur.

4. At quare ita statuamus, caussas habemus satis prægnantes,
pondereq[ue] gravissimas 1. Ut enim Deus in prima creatione alijs a-
nimantibus benedixit, conferens illis omnipotenti suo verbo vim
atque virtutem speciem suam propagandi: sic non minus ipsi quoq[ue]
homini idem fecisse Genes. 1. vers. 28. legimus. Sicut igitur leo
leonem, equus equum totum generat: ita etiam homo homi-
nem totum ex corpore & anima constantem vi benedictionis
divina procreabit: nisi velis hujus generationem illo-
rum facere minorem, 2. Apertissimum est testimonium Genes.
46.v. 25, ubi dicitur: Ha[ec] anima egressa sunt è fernore Iacob & 2.
Reg. 17.v. 11. Ecce filius meus, qui egressus est de utero meo, qua-
rit animam meam. Præterea Adam genuisse dicitur filium Se-
thum ad imaginem & similitudinem suam, Genes. 5. vers. 3. Hinc
certò concludimus, quod simul propagaverit animam: Et nullum
fere est adversantium argumentum (dicta scriptura si excipias,
qua tamen etiam Quaqueretis arguunt) adversus anima traducē;
quin illud confestim ad negandam naturalem anime leonis, equi
& reliquorum brutorum propagationem possis retorquere.

5. Huc accedit quod malum originis à parente in sobolem de-
rivari hanc possit: nisi animam tanquam subjectum peccati: hujus
principale, sedemq[ue] propriam, una cum parentum semine traduci
statuas. Quin imò ex ipso quoq[ue] Aristotele probari hoc posse vide-
tur. Is enim disertè dicit: homo generat hominem & Sol. Item
lib. 1. de generat. & corrupt. cap. 5. tex. 30. confitetur, quod
generetur simpliciter alterum ab altero. Et certè si anima homini
immediatè inspiretur, homo non generabit hominem, sed irrationale
animal. At hoc est absurdum, homo enim generat hominem Ari-
stot. 2. Phys. texi. 26. Ergo producitur simul anima, sine qua ho-
mo, non est homo: vel generatio brutorum animalium præstantior

erit estimanda, que sibi producunt simile, quod absurdissimum.
Quamvis idem Aristoteles lib. 2. de generat. animal. capite 3.
sui quasi planè inscius dicat: solam mentem extrinsecus accedere,
eamq; solam esse divinam: ubi etiam parum sui memor, quod ani-
mam in extensam & indivisibilem esse lib. 3. de anima, hanc ita
malè philosophatur.

6. Et iste sunt rationes, traducem animæ probantes præcipue:
ac licet multò plures pro traduce adduci possent: tamen nos hic
paucis hac vice contenti, reliquis enumerandis supersedebimus;
cum illæ passim cuius etiam sint obvia. Quod autem de novo non
creentur animæ, inde licet colligere, quod Genes. 2. vers. 2. dicitur,
Deum die septimo opus suum perfecisse, eog; ab omni opere im-
mediatè videlicet creando quietuisse. Genes. 2. vers. 2. Sic itaque
tum immediatam illam creationem finivit & conclusit: & nunc
mediante generatione naturali rerum species propagat. Imò si quo-
tidie adhuc immediatè conderentur animæ: sanctæ cerò & im-
maculatae à sanctissimo Deo producerentur. Quod si igitur sanctæ
ita infunderentur in corpus peccato pollutum & contaminatum:
nonne Deus inde injustus, auctorq; peccati, quod tamen absit, ut
statuamus, diceretur?

7. Valeat igitur illa de nova animarum creatione sententia;
licet habeat defensores sane graves: inter quos quoque est D. Hie-
ronymus, ut & ipse Iulius Cesar Scaliger: quos tamen in his
suo sensu libentissimè patimur abundare. Nos potius cum D. Au-
gustino alteram, de traduce sententiam seculabimur: qua homi-
nem ab homine totum, secundum animam & corpus progenerari,
salva nihilo minus animæ immortalitate, dicimus: Ita ut divi-
nam quid potentia lateat in parentū semine, quod beneficium τά-
σις δυναμεως excitatur & accenditur, ex eoq; anima, suo tamen
modo, nobis plane incognito, & spiritui competenti, generatur:
non secus ac in silice ignis latitat, qui ferri attritu elicetur.

CAP.

C A P . V.

1. Origine animæ humanæ sic exposita : sedes ejus propriæ sequitur aperienda. Quia vero in corporis parte sedem suam habeat anima, valde iterum est controversum. Varia enim sunt Philosophorum & Medicorum hac de re sententiae, quarum benè longus texitur Catalogus ab Andrea Laurentio Doctore Medico libro 4. operum Anatomicorum quæstione 1, quas omnes huc transcribere non est animus. Insigniores & præ alijs magis nobiles sententiae tres sunt: quarum una quæ Galeni, Medici istius insignis propria in cerebro eam habitare: altera in corde, quæ Peripateticorum: & tertia deniq; animam totam in toto & qualibet parte totam asseverat.

2. Nos cum D. Augustino, alijsq; patribus, reliquis posthabitis, posteriorem tanquam veriorem, utraq; quod dicitur, manu arripimus. Et quidem sententia huic, cui adstipulamus, rationes, favent haut contemnenda. Cum enim Iulius Cæsar Scaliger Philosophus certè acutissimus hoc ipsum de omni forma adfirmare non vereatur: quare nos idem de tam nobili forma, anima puta, negemus? Forma certè nulla, & sic consequenter nec anima, potest aliquid corpus informare, & informando verum subjectum Physice unum constitueri; nisi simul corporis istius partes omnes permeat & inhabitet.

3. Si igitur jam anima cum corpore toto debet uniri, ut certè debet: qui quo potest aliud, præter quam quod sit tota in toto, & in qualibet parte tota, verè statui? uniens enim unito, ut præsens est necesse. At q; sic si in pede, manu, aut in alio quopiam corporis humani membro non esset anima, utiq; illud ipsum membrum corporis istius pars dici nequiret: Et ad eisdem essentiali unitatem constituendam nequam congredetur: nisi aequæ ac alia corporis membra ab anima actuarentur.

4. Vbi-

4. *Vbicung autem jam est anima: ibi quoq; necessariò eam esse totam (totalitate quidē non quantitatem, sed essentiæ ut Hospi-nianus ex Aë quarij Metaphysicis annotat) spiritus, qualis anima est, conditio requirit. Spiritus enim à pœgijs &c. est, individuus & simplex; ita ut partem extra partem non habeat, sed ubicung sit, ibi totum eum esse oporteat. Cum itaq; anima essentia sit indi-visibilis, que nec magis nec minus, aut usam intensionem admittat: sequetur infallibiliter, animam etiam in minimo digitulo tam esse essentia liter presentem, totam, & perfectam, quam in alijs parti-bus longè nobilioribus.*

5. *Interim tamen dum hoc alserimus, non negatur à nobis: posse certis membris, ali quem primum ratione hu, us possisionis adscribi: qui tamen non ab anima, quia anima, sed qua i. a facultatibus est prædicta & potens, provenit. Adeò enim anima emi-nentius cerebro, cordi & hepati, tanquam partibus principalibus: qui im pedibus, dicitis, alijsq; corporis partibus minus principibus. Arg, hinc statuisse videtur Aristoteles, radices quasi agere animā in corde, vel in eo membro, quod illi ἀναλογον tanquam membro principi, ut in libro de communi animalium notione dicit ex-presse, totum animal esse sicut civitatem optimè institutum, & animam sicut regem, dicitque quod sicut rex non est in tota civitate, sed in una præcipua parte, nec anima in toto cor-pore, sed in una præcipua parte scilicet corde, & in libro de senectute cap. 2. & 3. de partibus animal. cap. 4. dicit, principium sensus esse in corde, ergo ibi erit anima (de quo tamen lis est ac contentio, inter Medicos & Peripateticos,) & ita ex corde in reliquas corporis partes derivari: ita ut hisce quidem partibus essentialiter adit: verum cum ali ex corde derivatione & participatione: vel ut Zabarella loquitur esse principale & radicatum in corde habeat: esse vero principatum in membris obiineat reliquias.*

6. *Idem etiam testatur experientia. Refert enim Iohannes Schenckius observat Medic. pag. 1. natum suisse in oppido quo-dam*

dam puerum, qui umbilico tenus integer exstebat, supernæ autem partes ejusdem gemina erant, ita ut duo pectora totidemque essent capita suis praecata sensib[us] ac partib[us]. Nam una pars cibis utebatur, abstinebat altera, dormiebat una vigilabat altera, unde duplē collegerūt animā. Deinde fuit natus alius capite tantū ē humeris geminus in illo conspicua fuerunt nunquā diverse operationes, sed idem cibi erat appetitus, famē eadem vox similima: unde unitatem animae concluserunt. Hinc manifestum est, quod cor, non vero cerebrum vel alia aliqua pars sedes, domiciliūque animae possit esse: Nam in eo membro radicatur anima, cuius unitatem vel multitudo dīnem sequitur unitas vel multitudo animalis.

C A P. VI.

1. Et sic est animae sedes: restat ut coronidis loco questionem de animae immortalitate breviter in tabula quasi enodatam exhibeamus, quod si fecerimus, manum de tabula, quod dicitur, removebimus. Quamvis autem multi sunt, qui cum Epicureis, Averroë, Plinio & alijs de grege porci, qui fruges consumere nati, ut cum Horatio loquar, hominibus planè atheistis, animam olim separatione existituram negent: merito tamen ab ijs nos se Jungimus. Quare autem nos ē facris & rationibus sanis multò inclisi instituti ab hisce secessum faciamus, brevibus hic definiendum.

2. Illis proinde Philosophis & Philologis (inter quos & Seneca p[ro]p[ter]e & religiosè de Deo multis in locis scribens, numeratur) qui admodum circa hanc de animae immortalitate materiam sunt hallucinati, relictis: senioribus Philosophis, qui animam cum Theologis immortalē statuunt, nos adjungemus. Quorum tamen illi non ita apodicticis ac isti, rationibus animam corporis compage per mortem solutam immortalē, & post resolutionem à corpore, superstitem nobis persuadent. Semper enim fere non desunt instantiae: que istis rationibus magno opponi numero possunt: unde & nos in ra-

C

tioni-

tionibus Theologicis, non negligentes interim Philosophorū quafdam rationēs, primariō acquisēmus.

3. Inter Philosophos quidem Ciceroni lib. i Tusc. quæst. Pherecides Syrus Pythagore p̄cepto r̄ primus est immortalitatis anime assertor. Verum longo ante hunc tempore Mercurium Trismegistum Mōsis οὐγέων in eadem planè, quod anima sempiterna sit, fuisse sententia prohibetur. Essens quoque in populo Iudaico idem statuisse testarū nobis facit Porphyrius lib. 4. de abstinen- do ab usu carnium. Nec non diuinus Plato & Aristoteles, Philosophiae lumina idem rationib⁹ haut exiguis adstruxerunt: quarum nos pauculas tantum subnecēmus.

4. Et præcipue quidem ac principes rationes, quo Philosophi pro animæ immortalitate pugnant sunt: . quod sit essentia sim-plex, invisibilis, immaterialis, Deo similiua ut dicit Socrates in Phœdone, qua non possit in sua principia, cum nulla habeat, resolvi, quodq; sit essentia seip̄am primā movens: & hujusmodi essentiam immortalem adstruunt & sempiternam. 2. Si anima esset mortal is benē ageretur cum malis; male cum bonis. Illi enim post perpetrata in hac vita scelera, nullas earū darent pœnas: Hi post transactā in multis calamitatibus vitā honestā nulla reportarent præmia. Et 3. Habet etiam operationes extra materiam, & ab organo corporeo non dependentes. Huic re censi possunt testimonia, Aristotelis lib. 1. de somno & vigilijs cap. 2. Ciceronis lib. 1. Tusc. quæst. &c.

5. Addē quod anima humana naturaliter desideret aeternitatem & felicitatem summam, cuius appetitus frustra non sit congenitus. Desiderio proinde isto generali, quo videlicet felicitatem anima, quam in hoc rerum statu adipisci non potest, exoptat: eam plane non defraudatum iri, sed in alio quopiam futuro statu consecuturam, certò arbitrantur. Quod quidam pro Herculeo Aristotelis argumento, quo nimirum ille animam humanam probare voluerit aeternam, venditare non verentur.

6. Sed

5. Sed rationes hæ, ut & aliae, quas magna copia adducere solent, videntur ita comparatae, ut forte non omnibus in sua conscientia satisfiant: ideo nos solidiores ex scriptura sacra, quas sub absoluta fidei ratione credere habemus necesse, adjiciemus.

7. Quamvis autem & hic haud ita paucis possemus pro anima immortalitate armis militare: tamen unam dunt axat, atque alteram rationem ex divinis scripturarum oraculis, quibus refragari nefas esse ducimus, petitam in medium proferemus. Et primò quidem patet hoc ex carnis resurrectione, qui articulus est humana rationi planè incognitus, in verbo autem sacro nobis peculiariter patefactus, fideiq; proprius. Si igitur jam corpora demortuorum in die novissimo resurrectura debent cum anima ita copulari, ut in eternum disjungi rursus non possint: utiq; etiam sequetur, animam immortalem esse. Sed prius indubitate esse veritatis, ex testimoniis sacris, ut 1. Thess. 4. vers. 17. & alijs quam plurimis patet. Posteriorius itaq; sua sponte sequi cuilibet liquet videre.

8. Nec tamen anima moritur & perit ad diem usq; judicij novissimum, corporumq; resurrectionem, ut quidam impiè somniorunt: quod tum; perpessæ prius morte illa corporali, cum corpore dei beat revivisci, perpetuumq; manere. Hoc enim diapp̄ylos & expressè adversatur aphorismo Servatoris Matth. 10. vers. 28., qui animas occidi non posse pronunciat; alijsq; scriptura testimonij Eccles. 12. vers. 7, ubi dicitur, quod anima ad Deum, qui dedit illam, statim à corpore soluta, revertatur.

9. In primis autem lucidissimum est, quod anima simpliciter immortalis sit, argumentum in Christi disputatione contra Saduceos resurrectionem corporum negantes Matth. 22. vers. 32. si enim Deus dicitur Deus Abraham: Et vero Abraham longis temporibus retrò elapsis mortuus est: Deus autem non mortuorum, sed vivorum Deus, invictè sequetur, Abramum vivere: Non vivit autem Abraham, quia ad corpus, secundum quod mortuus est; Ergo secundum animam vivat, cum tertium in homine non detur,

necessa-

necessario concluditur; Et per consequens, ut hujus ita & aliorum
animas vivere, ac immortales esse, verè credendum.

10. Atq[ue] h[oc] de cognitione animæ generali, ut à sensu homi-
num remota, ita & difficilima (ut merito animam Φύσιν ἀΦανέα,
naturam inadspectabilem lib. 1, de dicta nominarit Hippocra-
tes) differuisse pro tempore & occasione data sufficiat: specialem,
quo ad dñmā eius oīγματοis proximè subsequens, Deo nos benè ju-
vante, dabit expeditam.

A' П О Р Н М А Т А.

I.

Vtrum in homine uno anima duntaxat una: an
verò secundum potentias tres? Negato poste-
riore; prius affirmatur.

II.

An animæ humanæ numero tantum differant? A.
III.

Ecquid nostrates in sūs hypocaustis, ubi mori-
bundi sunt, propter animæ egressum, ut vul-
gus existimat, fenestras aperire debeant? Ne-
gativè respondebitur: quò minus verò propter
fœtum id, & nimis corruptum vaporem fie-
ri possit; qui ex jam jam morientium corpori-
bus egreditur, ut nimirum ille ita dissipetur,
nihil omnino prohibere arbitramur.

Laus Deo.

Ms. 662

Dent mulieris in uterum



1017

24

de et alia iudiciorum omni regis de sancte
One versione sicut iudicis et gentibus repre-
sente sicut et ego per omnem omnibus placet
hunc quod in uile est si quod multis actus sit
sicut **Suppli undatum**
¶ istud me ostendit et ego ipsi dico
autem vos fratres quod per omnia memorem estis
et sicut tunc uite precorum mei tenet
¶ Quid aut nos sine quod omnes omni caput ipsi
est caput ut mulierem hoc caput vero ipsi uen
Domi omnis omnis aut ipsi domine velato caput
aut per caput suum omnis ut mulier omnis a
lymnes non videtur caput. Autem caput suum
¶ Domini est enim auctoritatem suam
velut mulier. ¶ Verumtamen i nunc tempore e
milia condit a christiani vellet caput suum
¶ Ut uide non sicut velut caput suum sed
propositum est christiana dei christi est gloriosa
¶ sed et ipsa veritate huiusmodi mulierem agnosca
lumen huiusmodi summae dignitatis regis
¶ ut uide in libro primo etiam sicut multo
tempore

Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



ATIO XX.

A IN GE-
DEFINITIONEM,
& immortalitatem
cans.

M. A.
ÆSIDIO

NOBLOCHII,
., Med. & Phil.D.

rgensium Academia
amfuscipt

Ilschlegelius

ensis Variscus.

horis & loco notis.

ERG AE,
per Iohan. Gorman.

Is CVII.